



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 13. Luxuriæ malitia, & gravitas. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & alijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

## §. XI.

*Luxuria scdum vitium.*

**F**ac tibi Arcam &c. Gen. 6. 14. Infima mansiuncula est sentina, per quam significantur luxuriosi. Hugo Card. hic.

*Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Egypti.* If. 7. 18. Muscæ hæc, propter immunditiam, & iniquitatem, dicitur luxuria: & rectè dicitur in extremo fluminis, id est, Nili, qui in septem dividitur rivos: quia luxuria inter septem mortalia extremum locum tenet; propter foetorem, & immunditiam. Hugo Card. in Gen. 6. 14.

Propter istam causam spiritus dicuntur immundi, quia spurcissimi sunt, quia humanum genus, per suas suggestiones, multimodis immunditiæ, atque ignominie passionibus, afficiunt. Rupert. l. 10. in Apoc.

S. Francisca Romana divinò munere foctorem peccatorum persentebat, ac faciem ab impudicis avertebat: & si propè lupanaria iter haberet, præ foctore ferè exanimata ruebat. vita l. 1. c. 9.

B. Magdalena de Pazzis, cum Sacrum ejus corpus, ad templum è monasterio elatum, jaceret in feretro; inter reliquos accessit adolescens libidinofus; qui, dum faciem castissimæ Virginis intueatur, illa faciem avertit ab illo in alteram partem. In vita.

Post mortem B. Oringæ, sive Christianæ V., adfuit funeri foemina malæ famæ: quæ, ut in sacrum Virginis corpus defixit obtutum, illicò Oringa faciem sibi veste, quæ erat cooperta, proprijs manibus contextit. Bollandus 10. Jan.

SS. quinque Martyrum Ord. Sanct. Francisci reliquias cum fornicarius contingere vellet, sublevarunt se in altum, ut tangere non posset. Poenitens attingit, Bolland. 16. Jan.

Locum sepulchri S. Kentigerni Ep. libidinosi pedibus non possunt contingere: repente enim moriuntur; aut incurabili morbò puniuntur. Bolland. 13. Jan.

Sanct. Catharina Suecica, filia Sanct. Brigittæ, in infantia impudicæ nutricis fugere ubera recusavit: mamillas verò S. Suae Matris, & quarundam continentium mulierum, sine horrore bibebat. Bolland. 24. Martij.

Idem legitur de Sanct. Roberto Abb. Ord. Sanct. Benedicti apud eundem Bolland. 24. April.

## §. XII.

*Luxuria facit vilem.*

*Filius tuus Joseph vivit.* Gen. 45. 26. Si, ponamus, potuisset vinci à libidine, & peccare cum uxore Domini sui; non puto, quòd hoc à Patriarchis de eo nuntiatum

fuisse patri ejus Jacob, quia filius tuus vivit: Hoc enim si fecisset, sine dubiò non vivebat. Origen. hom. 15. in Gen.

*Humiliavit uxorem proximi sui.* Deut. 22. 24. Sanct. Cyrillus Alex. l. 8. de ador. illius deflorationem sacre literæ non solum humiliationem fenserunt, sed & appellandam censuerunt; quasi venerationis quandam amissionem. Abulen. q. 3. ad Deuteron. cum deflorata fuerit, humiliatur, & fit contemptibilior. Velloso in Judith 4. Paræn. 13.

*Miserere mei Domine, vide humilitatem meam.* Pl. 9. 14.

*David rex genuit Salomonem ex ea, qua fuit Uria.* Matth. 1. 6. Tantæ adulteræ foeditas est, ut eam Mathæus non exprimat. Bethsabee hæc est; non tamen nominatur: sive nè famam terat adulteræ; sive ut ostendat, eam suò nomine indignam esse. Velloso ib.

*Veni mulier de Samaria.* Joan. 4. 7. Hujus mulieris nomen Joannes non expressit; quia libidinis morbò laborabat: nam additè libidini sunt indigni ob vilitatem, qui nominentur. Escobar t. 3. Coll. Chr. Obl. 5.

Instrumentum quoddam est animæ corpus, & tanquam vestis, & stola, anima. Parce corpori, tanquam templo spiritus Sancti. Nè parvâ voluptate vendatis magnam dignitatem. S. Cyrill. Jerof. Catech. 4.

## §. XIII.

*Luxuria malitia, & gravitas.**Ex Veteri, & Novo.*

**I**niasusq; est Israel Beelphegor &c. Num. 25. 3. Hoc ejus consilio factum est; ut luxurioso populo filiarum Moab objiceretur pulchritudo. Sciebat propheta nequam, in quo esset populi illa maxima fortitudo. Sciebat, inquam; unde hoc, ut populus ille tanquam leæna confurgeret &c. Videlicet quia Dominus ejus erat cum eo, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Ut igitur castitatis amatorem, quasi rhinocerotem, abigeret ab Israël, hoc impium dedit consilium, quatenus ad fornicandum allectus populus, insuper etiam contra Deum suum, non qualecunq; idolum, sed Beelphegor, id est, simulacrum turpitudinis, initiaretur; qui idem apud Romanos olim erat Priapus. Sanct. Rupertus hic.

*Pepigi scdus cum oculis meis - quam enim partem haberet Deus in me desuper.* Job. 31. 1. 2. Ostendit, quare tam sollicitè hoc peccatum vitaverit. Et primam quidem rationem assignat hanc: quòd per peccatum luxuriæ homo maxime videatur à Deo discedere: accedit autem homo ad Deum per spirituales actus, qui maxime per delectationem veneream impediuntur. S. Thomas Aqu. hic Lect. 1.

*Amove malitiam à carne tua.* Ecclæ. 11. 10. Per malitiam libido accipitur. Cornelius hic.

*Misit illum in villam suam, ut pasceret porcos.* Luc. 15. 15. Pastor pecorum fit, qui semel cœpit luxuriando vivere: quia adusque docenda alios crimina trahitur. S. Chrysol. f. 2. quod autem mercenarios suos mittit ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas: quæ non contenta est, homines criminosos fieri; nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & magistros. Pinna Eth. 213.

*Eum, qui sic operatus est - tradere hujusmodi Sathanae &c.* 1. Cor. 5. 3. 5. Cur spiritui Christi habitanti in Paulo magis odiosus fornicator, quam negator? Tertull. l. de pudicitia: nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa; nescit quolibet cogi. Negationem verò quanta compellunt, ingenia carnificis, & genera pœnarum? Quis magis negavit? qui Christum vexatus, an qui delectatus, amisit? qui, cum amitteret, doluit; an qui, cum amitteret, lusit? Baeza t. 2. l. 6. c. 5. §. 5.

*Misit serpens ex ore suo &c.* Apoc. 12. 15. Os diaboli est os allicientis ad fornicationem. Sanct. Bonaventura f. 2. fer. 4. Pent.

### Ex Patribus, & aliis.

Quod sciam, non fumus nostri; sed pretiò empti. Et quali pretiò? Sanguine Dei. Lædentes igitur carnem istam, eum lædimus. Tertullian. ad Uxorem l. 2.

Cupiditas caducæ voluptatis delet desideria æterna. Eusebius 8. Strom. c. 6.

Quanam est mulier hæc tam potens, tam domestica, tam fallax; quæ virum de Apostolatis culmine dejicere valeat? utique carnis natura est. Ordinatione etenim divinâ in suæ creationis exordio ancillæ ministerium sortita est; sed peccati consuetudine inolente viri sibi usurpavit imperium: adeò ut reperiat difficultè, qui carnem spiritui, sicut debet, subigere valeat. Hæc sub suggestionibus suis virilem enervat animum; & à veritatis tramite deviare facit; atque agnitam fidem scædis operibus negare compellit. Toties quippe anima Deum negat, quoties carnis subternitur voluptati. S. Laur. Just. de triumph. &c. c. 9.

Istæ sunt incendiariæ Mundi. B. Humbertus f. 100. ad mulieres meretrices.

Nihil ita mentem hominis alienat à DEO, quam amor mulierum. S. Honorius f. in Septuagesima.

Qui imaginem Crucifixi projiceret ad latrinam, esset infidelis, & proditor. Modò nulla imago est magis propria imagini DEI, quam homo: quando ergo facis luxuriam, projecis imaginem Dei in latrinam, & lurum luxuriæ. S. Vincent. Ferr. f. 3. D. 3. post Ort. Pasch.

*Polyanth. Sacr. Tom. I.*

Nihil effrenatæ luxuriæ evidentius signum est, quam de hujusmodi (castis) sermonibus indignari. Ulcerosus omne, quod tangit eum, asperum putat; scabiosus rasorem horret, fur lucem, puer præceptorem. S. Bernardin. t. 1. f. 17. de sacra Relig.

E priscis ille sapienter dixit: ut nec cœlum respicit, nec margaritam quærit, porcus; sic & animus libidinæ voluptatis captus, & in luxuriæ cœnum delapsus, difficultè potest cœlestia cogitare. Drexelius in Niceta l. 2. c. 10.

### §. XIV.

#### Luxuria Spiritui Sancto, & Christo exosa.

**N**on permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Genes. 6. 3. id est, Spiritus S. non morabitur amplius in hominibus, quos peramanter curabat, ac tuebatur Caro sunt; & nihil puritati Spiritus Sancti æquè contrarium, ac impuritas. Sanct. Ambros. Spiritus Sancti. Spiritus Sapientiæ est, Spiritus cognitionis: habet ergo Sapientiã, habet & disciplinam: hic Spiritus non permanet in hominibus, quia caro sunt. Carnis enim natura disciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. Fernandus hic.

*Attulit alabastrum unguenti.* Luc. 7. 37. Noverat lasciviæ factorem, & spurcitiã, sagax foemina; quæ Dominum non audet convenire, nisi ferens secum copiosam odorum fragrantiam. Baeza t. 2. l. 6. cap. 5. §. 8.

*Vade, voca virum tuum.* Joan. 4. 16. Non dicit, voca tuum concubinarium ut vera erat: nec enim in castissimo Jesu ore cadebat nomen, luxuriæ notam sonare. Sylveira hic.

### §. XV.

#### Luxuria est demoni amica.

**F**œnum quasi bos comedit. Job 40. 10. Diabolus dicitur bos, quando tentat de luxuria. Hugo Card. in Gen. c. 1.

*Increpa feras arundinis.* Psalm. 67. 31. Per has feras describuntur demones; qui libenter versantur inter homines vanos, & leves; & in locis humentibus, ubi regnat luxuria. Bellarminus hic.

*Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo.* Marci 1. 23. Dicitur hic spiritus immundus propter obstinatam in impietate mentem, scædamque à Deo defectionem: tum maxime, quod obscœnis, flagitiosisque operibus mirificè delectatur. Victor Antioch. hic.

*Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* Luc. 15. 16. Porci, ipsi maligni spiritus sunt, quia in foetore, & vitiorum stercore, delectantur. Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum vo-

R r r r lun